



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 17. De eximia laude castitatis & virginitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

CAPVT XVII.

De eximia laude castitatis & virginitatis.

Quod dicebat Plato de sapientia, id ego verè dixerim de castitate, Si oculis cerni posset, quàm ardentes sui excitaret amores! de qua diuinus exclamat *Sap 4. 1.*
 Sapiens: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim eius memoria, quæ & apud Deum nota est, & apud homines. & aliàs: *Eccl. 26. v. 20.* Omnis ponderatio non est digna continentis anima. Cælestis planè ac diuina virtus, quæ ex hominibus Angelos creet, Angelis pare efficiat homines aut superiores. Nam si Angelorum felicior est castitas, hominum est fortior & generosior, quo periculosius illis molestiusque certamen cum hoste domestico carne sua quotidie est decertandum: quo hæc pugna quotidiana difficilior, eo nobilior illustriorque victoria est. De castitate præclarè admodum *Ambr. Lib. 1. de Virginit*
 Ambrosius, Quis humano eam possit inge-

nio comprehendere, quam nec natura
 suis inclusit legibus? aut quis naturali vo-
 ce complecti quod supra usum naturæ
 sit? E cælo accersuit quod imitaretur in
 terris, nec immeritò viuendi sibi usum
 quæsiuit è cælo, quæ sponsum sibi inue-
 nit in cælo. Hæc nubes, aëra, Angelos, si-
 deraque transgrediens, Verbum Dei in
 ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit
 pectore. Nam quis tantum cum inuene-
 rit relinquat boni? Ergo & Sacratissimæ
 Virgini ad æterni Verbi cōceptum viam
 præmuniuit aditumque patefecit inte-
 merata castitas, & eadem Deo nostro
 sponso amantissimo animas nostras ad-
 iungit atque copulat, cui & incorrupti-
 one proximas simillimasque efficit. Nam
 Sap 6. 20. *incorruptio proximum facit esse Deo. Ut lu-*
xuries, & corporis illa fœda voluptas
quæ cum pecudibus est communis, ho-
minem velut ex hominis statu ac digni-
tate ad earum pecudū deiecit vilitatem:
ita quæ nos ab omni corporis attactu se-
iungit castitas virginitasque, ad Angelo-
rum transfert dignitatem & statum, in-
corruptibili que Deo similes ac propin-
 quos

quos efficit. Quod futuri sumus, vos iam esse cœpistis, virgines alloquitur Cyprianus, vos resurrectionis gloriam in hoc sæculo iam tenetis, per sæculum sine sæculi cogitatione transitis; cùm castæ perseveratis & viigines, Angelis Dei estis æquales: nam *in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei,* inquit Dominus; nulla nuptiarum opus propagatione, vbi viget immortalitas æuique sempiterni perpetuitas. Hic vbi intercidunt & continuo fluxu dilabuntur homines, alij aliis coniugio suffiendi fuerunt: sed quibus animæ potior cura, vt eis rectè sit per omnem æternitatem, potiùs quàm de posteritate qua nõ eget anima, prudenter elaborant, qua sunt Angelis similes instituendam magis vitã, quàm qua brutis pecudibusque existimant. Habèt suæ dignitatis rationem, & tot nominibus anteponendam coniugio castitatẽ colunt. Hinc Cypriano virgines dicuntur flos Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, tota indoles laudis & honoris, Dei imago resplendens ad sanctitatem Domini,

Lib. 2. d. disciplin. & habitu virgin.

Matth. 22. v. 30.

394 DE OFFIC. SODAL. PARTH.
mini, illustrior portio gregis Christiani.
Sed infinitum sit laudes castitatis ac vir-
ginitatis persequi, in quas se Græci Lati-
niq; Patres totis ingenij, doctrinæ ac pie-
tatis viribus effundunt. Quod nunc agi-
mus, Ambrosij hîc quoque selectis utar
verbis: Egregia Maria, quæ signum sa-
cræ virginitatis extulit, & intemeratæ
virginitatis pium Christo vexillû leua-
uit, cùm omnium prima mortalium di-
uino Numini sui pudoris integritatem
edito voto consecrauit, propterea que
Archangelo diuinum illi prænuntianti
conceptum haud dissimulanter respon-
dit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non
cognosco?* quod profectò non diceret (in-
quit S. Augustinus) nisi priùs Deo virgi-
nem se vouisset. Quæ ratiocinatione uti-
tur quoque Nyssenus, Anselmus, Ber-
nardus, & probatissimi quique scripto-
res huius æui, qui Sacratissimam Virgi-
nem, vel cùm à parentibus in templum
trimula est adducta, & Deo oblata, ini-
bi que inter sacras virgines educata san-
ctissimè; vel ab ipso primitus conceptu
cùm accelerato rationis vsu sanctificata,
&

Luc. 1. 34.

Nyssen. de

Natura.

Christi.

S. Anselm.

de Exceller.

Virg. c. 4.

Bernard.

homil. 4.

super Mis-

sis.

Suarez. 3 p.

disp. 4.

sect. 7.

Barradas

t. 6. c. 3.

& ab originaria labe est præseruata, votum illud solemne virginittatis ad aliquã grati animi aduersus Deum significatiõnem nuncupasse credunt, & per omnem deinceps vitã, summo semper eius tuendã desiderio flagrasse. Quod hoc ipsum eius responsum significat, quando oblatam matris Filij Dei dignitatem, nisi salua integritate minimè receptura esse videretur. Verè gratia plena, cui diuino munere collatum est (inquit Beda) vt prima inter feminas, gloriosissimũ Deo virginittatis munus offerret. Et sanè cum id votum ad statum perfectionis pertineat, Euangelicæ legi ac gratiæ fuerat reseruandum, & tum à Christo eius auctore, tum à sanctissima eius parente, quæ proximè antecedebat, honoris eius causa, initium atque originem ducere debuerat: Deum enim decebat ea natiuitas, qua non nisi de virgine sibi consecrata nasceretur; & talis Deo dicatæ virginittati partus congruebat, vt non nisi Deum pareret, integritate nihil immiuta, sed aucta. Mariæ exemplo cæteræ ad integritatis studium prouocantur, ait

R 6 idem

*S. Thom. 3.**p. 9. 28. a. 4.**ad 2.**Bernard.**homil. 2.**super Mis-**sus.*

*De institut.
virg. c. 5.
& 6.*

idem Ambrosius, tum toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cælestis usus inoleuit. Hæc est illa cælestis militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris. Fuerunt quidem & in veteri lege continentes aliqui, qui virginitatis Euangelicæ præferrent umbram, sed pauci planè, & viri magis quàm feminae, vti notat Hieronymus. quamquam neque viros voto se castitatis illigasse legimus: ceterùm maledictum sterilis, & in doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquam verò Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum, cuius principatus est super humeros eius, Deum fortem, patrem futuri sæculi; soluta maledictio est, mors per Euam, vita per Mariam, ideoque & ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia cœpit à femina. statim vt Dei Filius ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælis, haberet angelos & in terris, sanctam nempe matrem & sponsam eius Iosephum; quem rectè Hieronymus virginem per Mariam colligit, & ab ea doctum,

*Epist. 22.
Aduers.
Heluidium.*

etum,

ctum, eiusque exemplo virginitatē quoque professum, tum vtriusque sexus innumeras myriades futuris quoque sæculis in Ecclesia propagandas. Habent nuptæ titulos suos, mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo. Christus virgo, Maria virgo, vtriusque sexus virginitatem dedicauere. Hi virginum principes & duces. Quis (inquit Epiphanius) vmquam aut quo sæculo ausus est proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? quæ nempe princeps est virginitatis, & in cuius nomine etiam nūc virgines degere contendunt, & castitatem seruare. Et profectò nō leue in eo sacro nomine cōtinentiæ ac castitatis situm est præsidiū. Inde Damasceno, virginitatis thesaurus & feracissima planta dicitur: Perte (inquit) virginitatis pulchritudo latissimè se diffundit. Denique Bernardus, qui virginum reginam & primiceriam appellat. Offerentur (inquit) seu adducentur regi virgines posteam; nam primatum sola vindicat sibi, dominam ac reginam honorariæ pedisse quæ, magistram disci-

*Hæresi 78.**Orat. 1. de
Natiuit.
Virg.**Epist. 174.
Ser. Signū
magnum.*

pulæ, matrem optimam filiaæ sectabuntur. neque erit in sexu, quo caret anima, discrimen. Præter illa quadraginta quatuormillia, de quibus D. Ioannes in Apocalypsi, quæ ad extremũ mundi tempus pertinent, erunt & alij innumeri, qui cum mulieribus minimè coinquinati, & virgines in virginalem beatæ Matris familiam transcripti fulgebunt; vt vterque Diuus Ioannes, Baptista, & Euangelista: ille, cui adhuc in vtero materno Diua Mater cõtulit integritatis insigne, quem trimestri sacræ suæ præsentiaæ athletam egregium vnxit oleo; hic, cui virgini Virgo Mater à filio Salvatore de cruce commendata. Iacobus Minor frater Domini ex vtero quoque sanctificatus, qui castitatem docet, cùm ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum descēdit à Patre luminum.* Paulus, qui vult omnes homines esse sicut seipsum, vt spectet ad ordinem spadonum, ait Tertullianus. S. Lucas, cùm ad octuagesimũ quartum ætatis annum vxorem non habens attigerit, Deiparæ familiari vsus consuetudine, ex cuius ore diuinę incarnationis

*Epiſt. hæ-
ref. 29. &
30.*

Iac. 1. 17.

Hier. ep. 22.

*Lib. de Mo-
nogamia
c. 3.*

*Hieron de
viris illust.*

nationis ortum, atque infantiaē Saluatoris mysteria didicit, sacroque Euangelio consignauit, ipsiusq; Deiparæ ad viuum effigiem Filium Deum gremio fouentis suo expressit penicillo. quæ sunt ad tuendam castitatem singularia munimenta. Ne longum faciam, de hac quoque Virginis familia censebuntur quàm pluri- mi Sodales Parthenij, qui eius patrociniopotissimum & præsidio, tot inter discrimina conseruarunt illibatam castitatem, qui semper ea duce, magistra, mediatrice gratiæ ac singulari protectrice fuerint vsq; à qua & præstans hoc donum multis precibus, votis, suspirijs, lacrymis impetrarint, eiusque nominis obiectu, Mariæ & Iesu inuocatione, vti scuto firmissimo, ignea tela omnia hostis nequissimi propulsarint, & de eo gloriosam aliquando victoriam reportarint. O quantis illa virginibus occurret! quantas ad Deum complexa trahet! hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore: quorum vtinam è numero & felicissima sorte censeamur!

*Ambr. l. 2.
de Virginib.*

CA-